5)

15

S. C. O.
[...]ondum.

Vir Excellentissime, Amice summe.

Si ex consilio meo tua penderent decreta, peccassem sane longitudine
qui diem ex die duxerim, dum sacratam istam sententiam
tanti negocii arbitram depromerem. Verum nec ea aut mihi copia,
aut tibi inopia boni consilii, ut meum silentium remorari queat
quo minus perscribatis in sententiam ac verba vestra autoritas, aut
si ita visum S. C.: nec vero recusarim si mei quoque punctum suffra-
gii ad numerum explendum desiderari censeas, in quamcunque praiveris
Princeps senatus, in eandem pedibus concedere sententiam. Rumor, quem
ferri ais, ad me quoque et delatus jam ante et relatus iterum iterumque
est, atque apud me facile etiam fidem invenit, quem ita tibi auguratum
meminerim. Quid facias? Certe res non parvi momenti, quantillum
ego hic sapio. Aversus sit non a Te modo, sed ab humanitate omni
qui incrementa ista honoris fortunaeque virtuti tuae debita non agnoscat,
obviamque gratuletur: attamen ut rem hanc natam video, non pauciora, nec
leviora videntur ea esse quae manum injicere videantur. Liberum
quidem caput es, nec isti nec ulli urbi mancipio datus, ut sit manus
injectio; attamen et alumnus almae matri vices, et recentibus ornatus bene-
ficiis mutua ipsi ornamenta et commoda tam cito negare, qui posses.
Ponderanda etiam utrinque quae quibus commutaturus esses: veterem Academiam
nova, collegas notos ignotis, et quis scit an aeque faventibus aut faventiori-
bus, an aeque pacis studiosis, ut plerique certe quos nunc habes; oppidum urbe
fateor magnifica, sed an tanto etiam magis munifica: annonae laxi-
tatem cum angustia, nisi me fallunt, qui de caritate omnium rerum quae isthic obtineat
narrarunt, immunitatem Academicam cum excisis, nescio annon et fruga-
litatem majori luxu, minorumque tabulas expensi minores majoribus. Fautores
certos et notos incertis dubiisque. Interim et talia tibi constare poterunt
quae haec omnia diluant. Nam et luculentiores conditiones oblatas esse spe-
ro, et vestra industria ac Genius reliqua praestare queant. Meminisse
iuvat exemplorum similium in hac ipsa Academia, quorum dum respicio
eventum, non mihi dubium relinquit, utrum sequendum mihi si eo loco essem
arbitrer. Alter ante complusculos annos, splendidis ut jactat conditionibus
vocatus in vestram istam, jam convasarat omnia totusque migrabat, cum aucto-
ritate magistratus sistitur augmento quidem aliquo salarii, sed nescio an
non honoris jactura majore. Alter non ita pridem Leidam maxima
ambitione ac spe luculentissime evocatus, quievit toto eo negocio et lega-
tis Leidensium rem permisit transigendam cum Proceribus. Sic favorem hominum
et Morum integrum retinuit, honoris non minus quam salarii augmentum as-
secutus, valde praesentibus acquievit. Quod si Leidensium legatus Proceri-
bus nostris persuadere dimissionem potuisset, integra fama et gratia hinc
pedem proferre licebat. Verum haec tute rectissime dispexeris, et est
tibi praesens amicorum prudentiorum nec minus fidelium copia. Ego quidem
nolim longius te nobis abstrahi, quicquid tamen facis, Deus fortunet.
De itinere quo me libens in caussa haereditatis cernendae, omnia tibi precor ex voto
eveniant. Si quid tamen ea consilia mutet, et videntur nonnihil obstrepere anni
tempestas ac itinera, nolim quin commodo vestro fiat, occasionem ipsam nobis per-
quirere. Quicquid tempus tulerit, mature certiorem me facias, magnam inituris gratiam
et a Clarissimo Dn. D. Alsingio gratiam, cujus etiam verbis salutem adscribo.
Vale Vir Excell. et amare quod facis T. Studiosissimus T. Andreae

Groningae a. d. IX.
Junii
MDCXXXVII.
[...]vcat Dn.
[...] Pastor,
[...]ega vester

Clariſsimo atq[ue]
Excellentiſsimo
Viro, D.n Johanni
Coccejo, in Illuſtri
Franiquerana
profeſsori ſanctæ
linguæ eximio
Domino fautori
& amico
ſingulari.

Franequeram